



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 18. Obstaculum Evangelicæ prædicationis ab Vrvaïca amovetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

*Et Ariolo-
rum.*

solo aculeolis suis diu noctuque fodicantes, nullâ quiete datâ pertinacissimè eos infestarent. Præterea arioli quibusvis feris & cyniphibus molestiores iis erant, adeò ut Ruiërius scriberet, inter hos populos durare, sine specialissimo Dei favore, prorsus fore intolerabile: sed Deus Optimus Maximus inexplicabilibus deliciis eorum animos imbuebat, qui se volentes lubentesque in media Barbarie gloriosis ærumnis consecrant. Indicibili Sociorum diligentia pedentem à plerisque Casiquiis, infra & supra oppidum incolentibus, obtentum, ut se perducerent: quamquam nunquam decrant, qui dæmonis clientes se professi Evangelio resisterent.

CAPUT
XVII.
Obstaculū
Evangelicæ
predicatio-
nis ab Ur-
vaicâ amo-
vetur.

*Conceptionis
oppidum un-
tat.*

1625.

*Jaguapinius
capitur.*

DUM hæc aguntur, Nicolaus Durandus Mastrillus Provincialis alia Parana oppida inspiciebat, qui quamvis ad novum Acaraïense oppidum non ascenderit: ausus tamen terrestri itinere ad Urvaicensis penetrare, reperit Conceptionis oppidum, ob Paranensium Ethnicorum secretas machinationes, & pestem singulis annis grassantem, suspicionesque Barbarorum, nutare: voluitque coram, advocatis in consilium frequentibus Sociis, disceptari, num oppidum ab quinquentio inceptum, & paucitate laborans, continuandum deferendumve esset. Re ultrò citroque agitâ, prævaluit Rochi Gonsalvii, & Alfonsi Aragonæ, qui ibi curabant, sententia, sententium, constantia, & remotione obstaculorum, contra dæmonem, immensæ Provinciæ spem evertere conantem, obtinendum esse. Aiebant enim, circa Parana initia per sexennium integrum contra Barbarorum perfidiam, pestis grassationem, dæmonum furorem, Socios oblectatos fuisse: longè diutius Cataldinum & Maçeram in duobus Guairaniæ oppidis se continuisse: sperandum etiam esse, si non retrocederetur, fore ut aliquando grande constantiæ præmium, devictis Urvaicensibus, reportaretur. Cui sententiæ subscribens Provincialis, Rocho Gonsalvio in mandatis dat, ut omni adhibito conatu obstacula amoveat. Et profectò statim ingens amotus est, capto Jaguapinio Paranensi Casiquio, jamdiu secretis machinationibus Sociorum labores summo nisu evertere conato. Persuaserat is Urvaicensibus Ethnicis, ut non longè procul ab eo loco, ubi Rochus Gonsalvius Conceptionis oppidum fundaverat, aliud majus construerent, è quo conjunctis viribus bellum Neophytis inferrent, prohiberentque religionem Christianam ultra propagari: sed acceptis tanti mali indicis, Paranenses Neophyti factâ manu Jaguapinii pagum invadunt: quo capto, & in exilium transportato, duplici emolumento novellâ Urvaicæ & Parana oppida cumulata sunt. Nam Jaguapinius ad partes Christi cum omnibus affeclis transiit, & deinceps per Urvaicensem Provinciam victricia triumphantis Fidei Christianæ arma, fundatis multis oppidis (uti suis locis narrabimus) Gonsalvio duce Socii circumtulere. Inter has turbas centum & quinquaginta quatuor in eo oppido Christianis additi sunt.

CAPUT
XVIII.
De Joannis
Quaracii
Arioli mor-
tibus &
morte.

*Joannes
Quaracius
morti eripi-
tur.*

*Itatinenses
decipi.*

AD Paranam quamvis novæ veteresque Neophytorum coloniæ frequentibus Ethnicorum accessionibus Sociorum industriâ crescerent, spesque esset totum fluvium sub Christi jugum brevi missum iri; tamen nec hic dæmon quiescebat, qui ad eludendos Sociorum conatus, Joannem Quaracium, magum perversis facinoribus famosissimum, in Paranam induxit, totum sine dubio corrupturum, nisi in antagonistas eludendis stygiis artibus exercitatissimos incidisset. Ismagus in Guairania olim natus Baptismo se tingi eo sine permiserat, ut dissimulatiùs noceret. E patria in varias semotasque terras peregrinatus, sparso ubique superstitionum veneno, quoscumque poterat ab Christi cultu avertere conabatur. In Assumptionis urbe, ob nota scelera, Judicis sententia furcæ adjudicatus, imprudenti nescio cujus hominis favore morti ereptus, ad Sanctæ Fidei urbem in exilium transportatus est. Unde adverso Parana fugiens, Itatinensi Neophytorum oppido, Franciscanis Patribus subjecto, clam se intulit. Et ut erat vaser, ab Itatinensibus impetravit, ut se quàm occultissimè haberent. In his latebris, maleficis sermonibus plerorumque animis sibi devinctis, ab credula gente facillè obtinuit, ut frequentissimi ad se audiendum noctu concurrerent. Porro nocturni doctoris hæc erant dogmata. Caverent ab Christianis & Religiosis Sacerdotibus, quos scirent ad Indorum perniciem esse

consecratos.